

Pembroke 25 Sermo 6 (fols. 11v–13v)

ITEM ALIA .

IN illo tempore . Exiit edictum a cęsare agusto ut describeretur uniuersus orbis . Haec discriptio prima facta /12r/ est ; a preside syrię cirino . et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam ciuitatem . Ascendit autem et ioseph a galilea de ciuitate nazareth . in iudeam ciuitatem dauid quę uocatur bethleem . eo quod esset de domo et familia dauid . ut profiteretur cum maria desponsata sibi uxore praegnan te . Factum est autem cum essent ibi . impleti sunt dies ut pareret . et peperit filium suum primogenitum . et pannis eum inuoluit . et reclinauit eum in presepio . quia non erat ei locus in diuersorio . Et pastores erant in regione eadem . uigilantes et custodientes uigilias noctis super gregem suum . Et ecce angelus domini stetit iuxta illos . et claritas dei circumfulsit illos . et timuerunt timore magno . Et dixit illis angelus . Nolite timere . Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum . quod erit omni populo . quia natus est uobis hodie saluator qui est christus dominus in ciuitate dauid . Et hoc uobis signum . Inuenietis enim infantem pannis inuolutum . et positum in presepio . Et subito facta est cum angelo multitudo militie cęlestis .

laudantium deum et dicentium . Gloria in altissimis deo .  
et in terra pax hominibus bone uoluntatis . [.vi.] Quia la-  
giente domino missarum sollemnitate hodie cælebra-  
turi sumus . loqui diu de euangelica lectione non pos-  
sumus . sed nos aliquid uel breuiter dicere redempto-  
ris nostri natiuitas ipsa compellit . Quid est quod  
nascituro domino mundus describitur . nisi  
hoc quod aperte monstratur . quia  
ille ueniebat in carne . qui electos  
suos adscriberet in aeternitate  
/12v/ quo contra de reprobis per prophetam dicitur ; deleantur de  
libro uiuentium . et cum iustis non scribantur . Qui bene  
etiam in bethleem nascitur . Bethleem quippe domus panis  
interpretatur . Ipse namque est qui ait . Ego sum panis uiuus  
qui de cælo descendi . locus ergo in quo dominus nasceretur do-  
mus panis ante uocatus est . quia futurum profecto erat .  
ut ille ibi per materiam carnis appareret . qui electorum  
mentes æterna satietate reficeret . Qui non in parentum  
domu . sed in uia nascitur . ut profecto ostenderet quia  
per humanitatem quam assumpserat quasi in alieno nasce-  
batur . Alienum uidelicet non secundum potestatem dico . sed  
secundum naturam nam de potestate eius scriptum est ; In propria  
uenit . In natura etenim sua ante tempora natus est ; in nostra

uenit ex tempore . [vii.] Qui ergo ęternus permanens tempora  
lis apparuit . Alienum est ubi descendit et quia per pro  
phetam dicitur . Omnis caro foenum factus homo foenum nostrum  
uertit in frumentum qui de semetipso ait . Nisi granum frumen  
ti cadens in terra mortuum fuerit . ipsum solum manet . Unde  
et natus in presipi reclinatur . ut fideles omnes uidelicet sancta  
animalia carnis suę frumento reficeret . Ne ab eternę in  
telligentię pabulo ieiuna remanerent . Quid est autem  
quod uigilantibus pastoribus angelus apparet . eosque dei clari  
tas circumfulsit . nisi quod illi pre cęteris uidere sublimia  
merentur . qui fidelibus gregibus pręesse sollicite  
sciunt . dumque ipsi pie super gregem uigilant .  
Diuina super eos gratia largius coruscat . Regem  
uero natum angelus nuntiat . eiusque  
uoci angelorum chori concinunt  
/13r/ et congaudentes clamant . Gloria in excelsis deo . et in terra pax  
hominibus bone uoluntatis . [viii.] Prius quippe quam redemp  
tor noster per carnem nasceretur . discordiam cum angelis habuimus .  
A quorum claritate atque munditia prime culpe merito `per cotidiana delicta longe´ dista  
bamus . quia enim peccando extranei eramus a deo . extraneos  
nos á suo consortio deputabant angeli ciues dei . Sed quia  
nos cognouimus regem nostrum . recognouerunt nos angeli  
ciues suos . quia enim cęli rex terram nostrę carnis adsumpsit .

infirmi-  
tatem nostram illa iam angelica celsitudo non dispexit .  
ad pacem nostram redeunt angeli . intentionem prioris discordie  
postponentes . et quos infirmos prius abiectosque dispexe-  
rant . iam ut socios uenerantur . Hinc est enim quod loth uel  
iesu naue angelos adorant . nec tamen adorare prohibentur .  
Iohannes uero in apocalipsyn adorare angelum uoluit . sed  
tamen hunc angelus ne se debeat adorare compescuit di-  
cens . Uide ne feceris . conseruus enim tuus sum et fratrum tuorum .  
[.viii.] Quid est quod ante redemptoris aduentum angeli ab hominibus  
adorantur et tacent . Postmodum uero adorari refugiunt?  
nisi quod naturam nostram quam prius dispexerant . Postquam  
hanc super se adsumptam conspiciunt subtractam sibi uidere  
pertimescunt . nec iam sub se uelut infirmam contemnere  
ausi sunt . quam super se uidelicet in caeli rege uenerantur .  
nec habere dedignantur socium hominem . qui super se ado-  
rant hominem deum . Curemus nos ergo fratres karissimi nequaquam  
nos inmunditia polluat . qui in aeterna prescientia et dei  
ciues . et angelis aequales sumus . Uindicemus moribus  
dignitatem nostram . nulla nos luxuria inquinet . nulla  
turpis cogitatio accuset . non malitia mentem mordeat .  
/13v/ non inuidie rubigo consumat . non elatio implet . non  
ambitio per terrena oblectamenta dilaniet . Dii etenim uoca-  
ti sunt homines . Defende ergo tibi o homo contra

uitam honorem dei filius dignatus est agere . ut humanum  
genus liberaret a peccato . et secum duceret ad cęlestia reg  
na . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum . amen